



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XII. Via sternitur ad gravissimam de Opinione probabili quæstionem
præmissis iis, quæ pertinent ad humanam conscientiam discernendam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

humani officii naturam, neque inter operationes liberas debent computari. Consequitur autem ut plurimum ad motus naturales alius, quem appellant, *sensitivum*, qui secundum impulsu fomitit tendit in bonum delectabile: atque hunc motum appellant cupiditatem, cujus comes esse potest delectatio perniciofa, si liberum arbitrium insurgentem cupiditatis motum non reprimat.

CANON VII.

7. *Canon 7.* Motus ergo ille perniciofæ cupiditatis, in quantum homine invito confurgit, & rationem præcedit, est illa lex membrorum repugnans legi mentis, de qua Apostolus; peccatum etiam aliqua ratione appellatur, in quantum est radix mala, infita originali peccato, & ad peccatum alliciens. Verum cum non sit in libera potestate eundem motum non expectari, nequit reputari illud peccatum, quod est *legis inobedientia*, & *transgressio*; quidquid commentus est Bafius merito ob Apostolica Sede proferiptus.

CANON VIII.

8. *Canon 8.* Ubi vero ad motum *sensitivum* accedit *rationalis*, id est, consequens ad mentis apprehensionem, ac deliberationem rationis, quoniam homo jam non patitur invitus, sed libere delectatur, potest duplici ratione peccare. Vel enim cum advertere possit ejusdem motus pravitatem, illumque refrænare, illi delectatione inhæret suspendendo consensum; & tunc est delectatio, quam dicunt *morosam*; utique mala & culpabilis, quia libere adhæret bono commutabili: vel accedit etiam deliberatus assensus, & tunc peccatum non solum inest, sed etiam regnat, ut scribit Augustinus in Psalmum L. *Inest peccatum, cum delectaris, regnat si consenseris.*

CANON IX.

Delectari de re licita nullum peccatum est. At curandum sedulo, ne etiam licita delectatio in pravam degeneret; nam, ut idem Augustinus ait lib. 1. de Gen. contra Manichæos cap. 20. *Cum non reguntur motus animi nostri, erumpunt & pergunt in fœdissimas consuetudines.* Accidit autem nonnunquam, ut immutatis rerum circumstantiis fiat quod licitum erat, illicitum; ut virilis complexus licitus nuptæ, viro defuncto redditur illicitus viduæ. Peccat ergo ipsa, si de actu præterito Matrimonii delectationem percipiat. Quamquam enim præteritus ille actus fuerit aliquando licitus, delectationem non excitat, ut præteritus est; res enim amissa, ut amissa, non delectat, sed cruciat: ideoque oblectationem parit in quantum menti obversatur, & præsens est; quod servata proportionem tenendum esse arbitramur, de sponsa oblectamentum percipiente de futuro maritali complexu.

CANON X.

Liquet ex supra disputatis nulli bono commutabili tanquam ultimo fini esse inhærendum, sed rebus creatis utendum esse, fruendum autem Creatore. Delectatio ergo, quam creaturis utendo experimur, dum intendimus præstantioris finis consecutionem, censenda est inculpabilis. Contra si delectamentum rerum creatarum sit nobis ultimus finis, eique inhæreamus animo & voluptate, quemadmodum contingit in iis, qui in temporalibus oblectamentis modum non tenent, quolibet delectatio erit perniciofa. Ideo culpa non caret ipse actus conjugii ob solam voluptatem peracti, & comessatio, epulumque propter luxum, vel satietatem; quomodo rectissime Romani Pontifices declararunt. Atque hæc Regulæ ad ignorantiam, & delectationem pertinentes ex præmissis dissertationibus videntur nobis certissimæ.

CAPUT XII.

Via sternitur ad gravissimam de Opinione probabili quæstionem præmissis iis, quæ pertinent ad humanam conscientiam discernendam.

SUMMARIUM.

1. Conscientia probabilis quid sit.
2. Quid sit conscientia comparatè ad opera facienda.
3. Divisio in conscientiam rectam, & erroneam.
4. Ulterior divisio conscientiæ in scrupulosam, laxam, Pharisaicam, & cauteriatam.
5. Quoruplex conscientia spectato ipsius iudicii motivo.

In

1.
Conſcientia
probabilis
quid ſit.

IN bonis, praviſque operibus atten-
denda præſertim eſt interior regula
morum, quam *Conſcientiam* conſue-
tum eſt appellare: de qua cum plura
tradant Moralium institutionum Aucto-
res, nos paucis exponentes ea, in qui-
bus conveniunt ſinguli, inquiremus ſpe-
cialim de Conſcientia probabili, de qua
diſceptatio perutilis, gravisque inſtitui-
tur. Eſt itaque *Conſcientia*, ut hoc lo-
co accipitur, non ſimplex rerum notitia
per ideam aut ſenſum comparata, neque
communis pluribus ſcientia, aut con-
ſpiratio, quo ſenſu ait Cicero in Catili-
nam: *Conſtrictam horum conſcientia*
conjuratorem; ac Tacitus in 1. Hiſt.
In conſcientiam facinoris pauci admiſſi:
ſed eſt eorum quæ facimus interius ju-
diciū animi, per quod aut redargui
poſſit, aut probari. Comparatur autem
conſcientia vel cum operibus fa-
ciendis, vel cum iis, quæ jam facta fue-
runt. Reſpectu operum patratorum eſt
conſcientia teſtimonium illud, quo juſti
eriguntur, improbeque timore proſtran-
tur, quam Græci dicunt *συνηδονή*. De
hac inquit Apoſtolus ad Rom. ix. 1.
Teſtimonium mihi perhibente conſcientia
mea. Dicuntur ob illam & impii,

Nocte dieque ſuum geſtare in pectore
teſtem.

2.
Quid ſit con-
ſcientia
comparatè
ad opera fa-
cienda.

Comparete autem ad opera facienda,
conſcientia eſt intima perſuaſio per quam
judicamus ea, quæ agenda ſunt, eſſe
bona vel mala. Hæc, de qua pertra-
ctamus, definitur in Scholis, *Actus men-
tis*, quo de iis, quæ hic & nunc agenda
ſunt, judicamus an omittenda ſint, an
executioni mandanda. Tam aperta eſt
hæc definitio, ut poſtulare non videatur
aliquam expoſitionem. Sunt quidem è
Schola complures, quibus magis placet
Conſcientiam dicere *habitu*, quam
actum, propterea quod conſcientia etiam
in dormientibus permaneat; ſed aliud
eſt vis ac facultas judiciū, aliud judi-
cium ipſum; atque aliud bona mentis
affectio, aliud intima perſuaſio. Dum
itaque Scotus, Gabriel, Durandus alii-
que contendunt conſcientiam dicendam
eſſe *habitu*, accipiunt illam aut pro
facultate mentis humanæ, aut pro ejus
habitudine atque affectione: quo ſenſu
dicimus peccantium perverſam eſſe con-
ſcientiam, aut cum Apoſtolo ad Heb. ix.
14. Deum emundare *conſcientiam* no-
ſtram, nimirum mentem ac voluntatem
purgare ab erroribus, noxiisque cupi-
ditatibus, ut Deo viventi ſedulam ſer-
vitutem exhibeamus. At nos *conſcien-*

tiam illam dicimus, per quam in operan-
do dirigimur; aut firma ſit hæc directio,
aut anceps & dubia, aut æquitati con-
ſentanea, aut fallax atque perverſa,
ideoque actum illum mentis, quem alii
appellarunt intimam regulam morali-
tatis, alii judiciū practicum, alii
βασανισμός, *diſtamen* rationis: quæ no-
mina in idem prorsus collineant.

Juxta varias judiciū noſtri conditio-
nes etiam Conſcientia ſolet à Theologis
dividi: nam, quemadmodum judiciū
verum eſt, aut falſum, ita conſcientia
alia *recta* eſt, alia *erronea*. Rectam
conſcientiam dicimus, quæ veritati &
æquitati conformis eſt; nimirum, qua
judicamus bonum eſſe, ac faciendum
quod revera eſt hujusmodi, aut è con-
tra eſſe malum ac fugiendum quod re-
vera malum eſt: talis eſt conſcientia,
quæ nobis proponit cultum Deo exhi-
bendum, honorem præſtandum paren-
tibus, eleemoſynam pauperibus elar-
giendam. Quod ſi conſcientia propo-
nat ut bonum quod malum eſt, aut ex
adverſo tanquam malum, id, quod eſt
bonum, non rectam conſcientiam dici-
mus, ſed erroneam: ſit in exemplo
conſcientia eorum, qui ſimplicem for-
nicationem, furtum, aliaque probra
eſſe licita cenſuerunt. Sunt vero re-
ctæ conſcientiæ dijudicandæ certi cano-
nes; quorum primus eſt indita ſingulis
æternæ legis participatio, ſive lex natu-
ræ, quæ non ſinit rationabiles creaturas
uni-verſalia ſaltem & communia ignora-
re, & à qua ſi opus aliquod diſcorde-
t, illud ſit turpe atque inhoneſtum neceſ-
ſum eſt. Quare beatus Proſper his ver-
bis alloquitur ſceleratoſos:

Ite ipſi in veſtra penetralia mentis,
& intus
Incisos apices, & ſcripta volumi-
na legis
Aſpiciſcite, & natam vobiſcum aſpi-
cite legem.

In iis vero quæ naturæ lumini non ſunt
obvia, rectam conſcientiam dicimus,
quæ Divinæ auctoritati, & voluntati
morigeratur: cujus voluntatis ſeptem
habere poſſumus argumenta, ut erudite
animadvertit Paulus Comitoloſus in Reſp.
Moralib. lib. v. q. xv. Sunt autem ſacra
Volumina, Concilia Oecumenica, Chri-
ſti & Apoſtolorum traditiones, Eccleſiæ
conſuetudo, juſſa Romanorum Pontifi-
cum, Patrum & Eccleſiæ Doctorem una
vox & concordia, & denique Theolo-
gorum in Scholis diſceptantium conſpi-
ratio & conſenſio. At ſi rationi, vel
aucto-

3.
Diviſio con-
ſcientiæ in
rectam, &
erroneam.

auctoritati Divinæ, quam nobis hæc septem argumenta enuntiant, repugnet conscientia, pravam illam, erroneamque æstimamus.

4. Verum cum pœnalis cæcitas, atque diverberantes animum imagines rerum sensibilium sæpenumero caliginem offendunt inditæ nobis rationi, atque lubentius attendantur prava hominum instituta, impiorum colloquia, indulgentia mortalium ingenio rudimenta, & ad malum allicientes illecebræ, quam perspicuæ veritatis lumen, documenta bonorum, severiorisque disciplinæ præcepta; contingit eapropter, ut pluribus è causis animorum labefactetur iudicium: atque inde plures etiam conscientia erroneæ genera emanant. Etenim vel animus aliquo ex iis ad veritatem obstaculis præoccupatus iudicat vitio esse contaminatum quod omni culpa caret, & hæc est conscientia *scrupulosa* & infirma: vel iudicat esse veniale peccatum quod in se gravissimum ac turpissimum est, & hæc est conscientia, quam dicunt *laxam*, id est, dissolutam, & quasi laxis habenis facile in scelera quæque ruentem: vel iudicat esse grave peccatum illud, quod suapte natura leve est; & hanc conscientiam dicimus *Pharisaicam*, à consuetudine nempe invidorum Pharisaeorum, qui Discipulis vitio dabant, quod spicas evellerent, quod manus, priusquam mensæ accumberent, non lavarent, quod futes seniorum traditiones parvipenderent: vel denique absque ullo sensu pietatisque respectu approbat atrocissima & iniquissima, quemadmodum Gentes quæ ignorant Deum, & homicidia, furta, adulteria, aliaque flagitia atrocissima putant honesta ac licita; & hanc conscientiam Bonus Merbesius in Summa Christiana P. 1. q. 24. appellat *cauteriatam*, quoniam similis facta carnibus cauterio inustis nil percipere videatur. Obcæcatam dicere possumus, rebellem lumini, & ex crassa perversaque ignorantia profectam. Quemadmodum vero, ut in superioribus dictum est, hæc ignorantia vincibilis, & invincibilis esse potest, ita duplicem conscientiam erroneam constituit, vincibilem atque invincibilem, quarum primâ à culpa neminem excusari liquet ex hæcenus disputatis.

5. Omnes hæ partitiones conscientia spectant objectum, illud scilicet, circa quod versatur interioris animi iudicium practicum. Inquirendum modo quod duplex sit conscientia spectato ipsius iudicii motivo. Sane prænotio, quæ nos

ad iudicandum potest pertrahere aut evidentiam habet, aut moralem certitudinem, aut anceps est & ambigua, aut est probabilis, aut aperte falsa ac repugnans. Conscientia itaque, sive animi persuasio ex præconcepta notione derivans, vel erit evidens, vel moraliter certa, vel dubia, vel probabilis, vel improbabilis. Conscientia *certa* & *evidens* est intima persuasio, quæ oritur ex manifesta & rationi per se obvia cognitione: qualem conscientiam habet, qui Deum colit, qui honorat parentes, qui naturalem legem sibi inscriptam intuetur, meditat, ac servat. Conscientia *certa* tantum *moraliter* est quæ procedit ex motivis, quæ etsi evidenter non appareant, firma sunt tamen, atque formidinem omnem excludunt: talis E. G. est conscientia hominis etiam illiterati, & rudis, qui edoctus à Parocho, aliisque, quos novit probos esse, ac bene moratos, nec pulsatus contraria mentis persuasionem, nec opposita auctoritate, nec contraria aliqua consuetudine facit quod censet esse à se faciendum. Atque hinc patet posse conscientiam moraliter certam haberi etiam cum errore, dummodo sit involuntarius, ut demonstrant Theologi exemplo Jacob accedentis ad Liam. At *dubia* conscientia est, in quantum secernitur à probabili, dum quis parî rationum momento libratus hæret in ancipiti, & ab utraque parte cohibet assensum. Est autem dubium, aliud *juris*, aliud *facti*, ut supra dictum est. Si vero motiva, quæ pariunt dubitationem perlevia sint, timidosque ad hanc angustiam adigant, ut credant seculus grave, quod in se vel est minimum, vel inculpatum, conscientia dicitur *scrupulosa*; si ex adverso levi ductus momento iudicet aliquis vel bonum, vel excusabile quiddam probrosum est ac nefarium, habet is quidem *latam* perversamque conscientiam, quam paulo supra descripsimus. *Probabilis* conscientia est, quæ gravi quidem momento innititur, & ducitur ratione aliqua vel auctoritate minus spernenda, sed quæ partis oppositæ formidinem penitus non excludunt. Atque de hac conscientia plura nobis dicenda occurrunt. Nam *improbabilis* conscientia ex opposito ea est, quæ nulli tali momento innixa suadet opus aliquod faciendum temere atque imprudenter.

Conveniunt autem Theologi fere omnes, quod teneamur semper morem gerere conscientia rectæ, moraliter certæ, necnon etiam erroneæ cum invincibili ignorantia coniunctæ. Quisquis etiam

etiam operatur cum conscientia ancipiti ac dubia, communi conſenſione imprudenter agit, & peccat. Ad conſcientiam itaque probabilem gravis contro-

verſia reſtringitur; quam proximo capite explicabimus enucleatius, poſt hac curabimus dirimere, & complanare.

C A P U T XIII.

Quid ſit opinio probabilis? quomodo hanc nonnulli ſtudeant reddere certam regulam morum? quanta contentione hæc quæſtio agitetur? quid prænotandum ſit ad ipſam ſolide diluendam?

S U M M A R I U M.

1. Quid ſit opinio probabilis.
2. Opinio probabilis debet niſi fundamento magni momenti, fixo, & firmo.
3. Diſcrepantia inter opinionem & dubium.
4. Aliud eſt probabile comparatè ad mentem, & aliud probabile in ſe.
5. Probabilitas deducitur ex ratione, & auctoritate.
6. Eſt numerus Magnus Probabiliſtarum, eſt tamen æquè magnus Adverſariorum.
7. Varii Auctores reſcenſentur pugnantes contra probabilitatem.
8. & 9. Reſutantur aliqui Recentiores.
10. Notandum 1. Omnem opinionem ortum ducere ex ignorantia.

11. Notandum 2. Ex duabus inter ſe pugnantibus opinionibus una eſt vera, altera falſa.
12. Notandum 3. Non licet ſequi conſcientiam dubiam hæſitantem.
13. Notandum 4. Probabiliſtæ diſtingunt inter dubium ſpeculativum, & practicum.
14. Quomodo cum dubio ſpeculativo ſit Judicium practicum moraliter certum.
15. Quomodo Judicium ſpeculativum anceps liberetur ab hæſitatione. Via 1ma.
16. Via 2da.
17. De periculo peccandi materialiter, non autem formaliter.

I.
Quid ſit opinio probabilis.

PROBABLEM opinionem nos paulo ſupra hac definitione circumſcripſimus: *Probabilis opinio illa eſt, quæ gravi quidem momento innititur, ſive quæ ducitur ratione aliqua, vel auctoritate minime ſpernenda, ſed penitus non excludit oppoſita partis formidinem.* Eſt vero definitionem iſtam ſola nomen perceptio ſatis declarat, nonnulla pro ejus explicatione ſunt obſervanda. Exiſtimarunt quippe complures ſufficere ad opinionis probabilitatem, ſi innixa ſit rationi vel auctoritati alicujus momenti, quamvis pertenuis ac levis; ut liquet ex definitione tradita ab Antonio Eſcobario Exam. iiii. de Conſc. cap. 3. *Probabilis ſententia dicitur, quæ rationibus innititur alicujus momenti.* Ex qua definitione fas eſſet ſequi ſententiam unius tantum Doctoris, dummodo gravis & probi, ut ibidem Eſcobarius affirmat, & Sanctius in Summa lib. i. cap. 9. Adverſus definitionem illam non ſolum inſurgit Auctor Epistoliarum Provincialium Ep. v. & qui ſub nomine Wéndrockii Notas iſſidem Epistolis addidit; verum etiam Joannes Sinnichius celebris Doctor Lovaniensis lib. i. Saulis Ex-Regis cap. 94. aliique Antiprobabiliſtæ omnes, præſertim præpoſitus Societatis Jeſu Thyſus Gonzalez Diſſ. i. §. 2. ubi ait definitionem hanc aperire januam magnæ relaxationi, & laxitati.

Neque verum eſt quod ſcribit Auctor ſpeciminis Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis P. iv. cap. 2. Ludovicum Montaltium in probroſis Epistolis prædictam definitionem è ſola Hispania veſtigaffe, ibique ab uno Eſcobario parum ſcrupuloſe fuiſſe traditam; quidquid enim ſit de Montaltio, cujus convicia rationemque ſcribendi nequaquam probamus: fatetur Gonzalez eandem definitionem ſatis eſſe communem, eamque nobis ex recentioribus exhibuit Tamburinus definiens opinionem probabilem lib. i. Decalog. cap. 3. §. 3. *Opinio probabilis eſt aſſenſus intellectus de aliqua re, qui innititur rationi, vel auctoritati alicujus momenti, modo ex altera nihil appareat convincens.*

At Probabiliſtæ alii animadvertentes, quam latam hæc definitio erroribus viam ſternat, eoquod ea ſtatuta fas eſſet eligere quicquid apparet verifiſimile, eam erigere ſtudentes docuerunt requiri ad opinionem probabilem, ut nitatur fundamento magni momenti, fixo, firmo, non ſophiſmati alicui, aut rationi duntaxat apparenti: quod colligitur ex Terillo & Eſparza proximo §. laudati à Thyſo Gonzalez, & ex Joanne Ferrier Tolofano, quem exagitat citato loco Wéndrockius. Atque ex his conſtat nos congruam tradidiſſe probabilis opinionis definitionem. Grave autem cen-

2.
Opinio probabilis debet niſi fundamento magni momenti, fixo & firmo.